

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2078

Auteur(s) : Raoul du Planchey, bourgeois de Louviers [autre]

Bénéficiaire(s) : Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1249, septembre

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul du Planchey, bourgeois de Louviers, du consentement d'Asceline, sa femme, vend à l'abbaye de Saint-Taurin le pré et le jardin qu'il possédait près le moulin Jourdain.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CLXXXII, p. 220-222.

Texte établi d'après a

Noverint universi tam presentes quam futuri quod ego, Radulphus de Plancheio, burgensis de Locoveris, assensu et voluntate Asceline, uxoris mee et heredum meorum, vendidi et concessi et presenti scripto confirmavi Deo et monasterio Sancti Taurini Ebroicensis et monachis ibidem Deo servientibus, ac in posterum servituris, totum pratum et gardinum meum, cum tota via et granario sito juxta molendinum Jordani et omnibus masuris et cum omni dominio et pertinentiis eorumdem, sicut juxta feodum reverendi patris Rothomagensis archiepiscopi, ex una parte, et feodum dictorum monachorum Sancti Taurini, ex altera, se extendunt de longo in longitudinem, et de lato in latitudinem ; habendum et tenendum dictis monachis in puram, liberam et quietam ac perpetuam elemosinam, ita libere et quiete sicut aliqua elemosina liberius et quietius possideri poterit absque ullo servicio, aliqua exactione aut seculari demanda ; ita quod nec ego nec heredes mei in predicto prato, gardino, via et granario et masuris aut pertinentiis, aliquid omnino aliqua ratione de cetero reclamare poterimus. Sed si aliquis prefatos monachos de predictis seu aliquo articulo eorumdem molestaverit, ego et heredes mei de residuo tenementi nostri eosdem monachos apud omnes conservare tenemur penitus indempnes et reddere eidem omnes expensas et dampna que propter hoc sustinuerint ; et de hoc stabitur dicto abbatis Sancti Taurini qui pro tempore fuerit, volens et concedens pro me et heredibus meis quod totum residuum feodi mei sit de cetero obligatum ad solvendum omnes redditus quos ante istam venditionem ego aut antecessores mei pro predictis prato, gardino, via, granario, nec non et masuris et pertinentiis, reddere consuevimus ; et propter hoc liceat dictis monachis facere omnimodam justitiam super totum feodum meum pro redditibus supradictis, si propter hec ab aliquo seu aliquibus molestentur, de rebus eis venditis superius annotatis, quas in omnibus eis liberas volo esse et quietas ; et illud feodum sic obligatum non potero vendere nec alienare, vel ad alios usus convertere nec etiam heredes mei.

Preterea vero sibi vendita libere possidebunt in perpetuum, absque omni servitio, dotalicio, nec non et omni alia re, que ab eis propter hoc aliqua ratione exigi posset ; et ut ita supradicta habeant et possideant, ego et heredes mei vendita predicta eis garantizare tenemur ac deffendere contra omnes sumptibus nostris ; quod si hec eis garantizare non poterimus, pro toto, vel pro parte, excambium eis faciemus valore ad pinguem valorem in residuo hereditatis nostre ubi duxerint eligendum et sibi viderint expedire.

Cum igitur predicta pratum, gardenum, via, granarium, mesure cum pertinentiis obligata essent aliquibus vel erga aliquos per partes in sexaginta et tresdecim solidis turonensibus annui redditus, volens, quia teneor et ad hoc astringor, dictos monachos servare indemnes de predicta obligatione predictorum prati, gardini, vie, granarii, masurarum cum pertinentiis, pro recompensatione predictae obligationis, ego dedi, concessi, assignavi et hac presenti carta mea confirmavi predictis monasterio et monachis sexaginta et tresdecim solidos usualis monete in Normannia annui redditus, recipiendos in festo sancti Remigii annuatim : a Ricardo Paree, quinque solidos pro sua domo et sua masura sita juxta domum et masuram Clementis Beauvoisin, et sex solidos ad festum sancti Remigii pro domo sua et masura, sitis juxta domum Roberti Nesnoe ; et a Clemente le Beauvoisin, quinque solidos ad festum sancti Remigii pro sua domo et sua masura sita juxta domum Ricardi Paree ; et a relicta Petri le Feivre, quatuor solidos ad festum sancti Remigii, et quatuor ad Natale Domini de domo sua sita juxta domum heredum Roberti le Megre ; et ab heredibus Albini Tyelin, quatuor solidos ad festum sancti Johannis Baptiste et quatuor solidos ad festum sancti Remigii pro una masura sita juxta masuram Henrici Hondol ; et a Roberto Nesnoe, tres solidos ad festum sancti Remigii pro domo sua sita juxta domum Rogerii Haymeri ; et a Gaufrido Malpetit, duodecim denarios ad Pasca, et duodecim ad festum sancti Remigii pro suis pentoribus ; et a Johanne le Travaillye, quatuor solidos ad festum sancti Johannis Baptiste, et quatuor ad Natale Domini pro una masura sita juxta molendinum sancte Trinitatis Fiscannensis ; et a Rogero de Brovilla, quatuor solidos ad festum sancti Johannis Baptiste et quatuor ad Natale Domini pro una masura sita inter masuram Johannis le Travaillye ; et ab heredibus Roberti Puissant, duos solidos ad festum sancti Johannis Baptiste et duos solidos ad Natale Domini pro una masura sita juxta masuram Rogeri de Brovilla ; et a Roberto de Insula, duos solidos ad dictum sancti Johannis Baptiste festum et duos solidos ad Natale Domini pro una masura sita juxta masuram heredum Roberti Puissant ; et a Henrico de Aliseio, quatuor solidos ad duos terminos prenotatos, videlicet ad festum sancti Johannis Baptiste et ad Natale Domini pro una masura sita juxta masuram Roberti de Insula ; de Ereburgis de Prato, duos solidos ad Pasca, et duos solidos ad festum sancti Remigii pro masura sita juxta masuram heredum Osberti le Sereurier ; de Galtero as Parisies, decem et octo denarios ad festum sancti Johannis Baptiste et decem et octo denarios ad festum sancti Remigii pro masura sita inter dictam masuram et masuram Roberti le Tieulier ; et de Martino de Insula, duodecim denarios ad festum beati Remigii pro masura et pentoriis sitis juxta masuram Hugonis Cantel. Hec autem fideliter me observaturum juravi una cum dicta Ascelina, uxore mea, et heredibus meis, tactis sacrosanctis Dei Evangeliiis, sub pena centum librarum Turonensium solvendarum eisdem monachis a me, dum vixero, vel ab heredibus meis post dies meos, si in aliquo deffecerimus ad observandum formam supradictam, aut venerimus contra eamdem.

Pro dicta vero venditione predicti monachi dederunt michi pre manibus, de sua substantia, ducentas et decem et octo libras turonenses et decem solidos turonenses, de quibus est mihi satisfactum ad plenum et de quibus habeo me pro pagato ; renuncians nichilominus omni juris beneficio pro me et heredibus meis fori civilis et ecclesiastici, per quod juvari possemus ad veniendum contra supradicta.

In cujus rei testimonium, presenti scripto sigillum meum duxi apponendum.

Datum anno Domini M° CC° quadragesimo nono, mense septembris.